

QVERIMONIA
Iurisprudentiæ, re-
cens nata, atq; edita.

Bernardino Daza Hispano, Iuris
vtriusq; studiosissimo
autore.

AD amplissimum virum Gundisaulum
Perez, à secretis Hispaniarum
Principis Philippi.

T O L O S A E,

Ex Prælo Guidonis Boudeuillæi,
Academiæ Tolosanae Typographi.

1551.

572989519 (2)

OVERIMONTA

Imprimatur

est data, etc.

Bernardino Diaz Hispano, Juris

ut supra

patet.

A D. n. p. h. i. g. n. u. m. G. o. d. i. a. l. i. u. m.

P. e. t. r. o. a. l. e. x. a. n. d. e. r. e. t. e. r. e. H. i. s. p. a. n. i. a. r. u. m.

P. r. i. n. c. i. p. u. m. P. h. i. l. i. p. p. i.

T O L O S A E

Ex Presso Gordonii Bodevillae

Academici Tolosani Typographi.

1711
L. A. R. E. T.

AMPLISSIMO³
viro Gundisaulo Perez

A SECRETIS HIS-
paniarum Principis Philippi,
Bernardinus Daza Iuris

utriusq; studiosus

S. P. D.



AM huius nostræ declamatiuncula rationem esse cōperio, vir amplissime, vt pro certo habeam non defuturos multos à quibus feratur indignè: nisi, quale ipse mihi delegi, patrociniò defendatur. Est enim cōtra veteris inscitia: patronorū tanta vis, vt hūc nostrum laborem, quem libenter adiūmus: vt sese ad reparadā poliorē Iurisprudētiā bona ingenia, si nō miseratione commota, indignatione saltē stimulata colligerent: tanquā à leuitate & inscitia profectum, vel solo numero opprimere posse videatur. Ergo amplitudini tuæ, quæ plurimū apud sapiētissimos quosq; habet auctoritatis, dicatā hanc volui Querimoniolam: quod certo sciam probatissimorum calculorum victoriam fore, vbi tuum suffragiū steterit: Quod si mihi, vt spero, contigerit, omnium ferè sententiis studiūq; hoc, quale quale est, probatum iri confidimus: nec enim fallit eruditiores, quibus placuisse tantū desideramus, in id genus negotijs nō numerari suffragia, sed appēdi debere. Vale bonarum literarum patrone singularis.

Tolosæ, ad Idus Nouembris M. D. L.

A ii

4
Bernardinus Daza

HISPANVS, CANDI-
datis politioris literaturæ,
Salutem.



N I S I coniectura fuero sequutus,
quid vos subierit cogitatiois in ipso
huius nostræ chartulæ initio: quas
nos effundere lacrymas voluit Iu-
risprudencia, sine fide vestra auge-
ri volumus, vsq; ad cæcitatem. Et
primo non ignoro, quin Titulus in fronte præfixus: nõ
inventionis modò, cuius aliquam partem ferimus ac-
ceptam, sed & verborum sententiarumq; contextura:
ab illa multi nominis Erasmi Querimonia non admo-
dum hanc nostram recessisse, potuerit esse argumêto.
Et cum ventum esset, vbi me Hispanum declarabam:
haud dubium est, quin vobis illud, quod vulgò iactatur
succurrerit, Quid cani cum balneo? Quid Hispano
cum ratione pro politiori Iurisprudencia declaman-
di? Atq; vt hoc prius refellam, neminem tam esse mali-
gni putarim ingenij, qui cum duos Senecas vnumq; Fa-
bium (libet enim inter tam multos nostræ gentis auto-
res hos solùm nominasse, quos in controuersijs primos
effert antiquitas) Hispanos fuisse meminerit, mihi vitio
vertat, quod hæc à me fuerit suscepta prouincia. Vnde
priori etiam crimine absolutum me reddam. Nam
dum nationis meæ autores, si non exprimere, quod
sentio quàm esset arrogans, saltem imitari contendo,
non vacat admodum, quæ dixerit Erasmus obseruare,
vt inde,

vt inde (quod in enarrandis Alciati Emblematis me
aliquando fecisse non pudet) ad propositum nostrum
spectantia decerperem . Quòd si quis parùm credat,
liceat ei illã fecundissimã pacis Querimoniam cum
hac nostra , propè dixerim , horrida & confragosa
dispungere . Mihi medijsfidius facile fuerit asseuerare,
septimum agi annum, postquã illos dulcissimos Erasmi
fletus nec legi, nec vidi: tantùm abest, vt mihi fuerit in
animo, quicquã huc transtulisse, de quo ille mihi posset
dicere: meum est. Quinimo non tam mihi probantur,
qui totam dant operam vt delectent, iucundiori redũ-
dantia lasciuietes quã qui licet agrestius, tamen to-
tis, quibus causa cõtinetur, viribus intendunt. Nec enim
illi minus id faciunt iuueniliter, quã faceret imprudẽ
ter, qui saluti præferret voluptatem. V num est , quod
mihi à meliorum literarum amatoribus condonari de-
sidero: ne omnino deposuisse dolorem videamur , quẽ
intermissũ in agendo voluimus. Fecimus enim cõsultò,
ne vsq; ad vltimam vocem continuus quidam gemitus
seruaretur: tum quoniam facilẽ vos exoratos con-
fidebam, vt mihi in hac legenda Querimoniola
tales affectus præstaretis, quales in legen-
dis orationibus Demosthenis requi-
rebat Aeschines: hoc est, vt
cum quadam indigna-
tione legerentur,
quam remittere
interdũ o-
porte-
ret.

A iij Querimonia

Querimonia Iuris-

PRVDENTIAE,

Bernardino Daza,

Hispano au-
tore.



I quis legitimi Iudices (nam quos
appellem potius, quam quibus ipsa,
& nomen, & dignitatem dedi:) si
quis vestrum inquam Iudices, mira-
tur canam Iurisprudentiam, qua
omnium omnes querimonias tot iam
seculis, sicis oculis, serena fronte suscepit, nunc depo-
sito senili supercilio, lacrymis obortis, coram vobis mi-
serias suas proclamaturam prodiisse: is cognita causa
vereor, ne mihi ipsi indignetur, quod tam longum silue-
rim. Nostris moribus, fateor, persimile quidem fuisset
ut patientia dolorem superaret, sed ubi proteruus do-
lor in dies animum aperte inuadit, paucissimus linqui-
tur locus consilio. Primum igitur a vobis culpam deprecor,
quod tamen diu seruatam rumpam silentium, nec me infirmior
ob id existimetis, quod tandem dolori meo cesserim.
Vtinam ille esset, qui vel patientissimo animo perfer-
ri potuisset. Quod dum plane cognoscitis, date veniam
quaso acerbissimam fortunam suam proclamaturam: de-
inde vero ignoscite patientissimo animo, si diutius in-
iurijs potuit resistere. Ignoscite nunc inquam Iudices
impatientiam, qua contra onerosissimam iniuriam liber-
tate doloris exastuat. Quarelae causam iuste impositam
probaretis, si amplius tacerem. Sed interim hoc ab affe-
ctibus publicis peto, ne accusandi vos animo me pro-
diisse existimetis. Ipsa calamitatum, quas patior, causa
fui

fui. quoniã maturè onus, quod sensim imponebatur, nõ reieci. & illud est, quod tacebam. Sed cùm leue primũ onus maiore accessione subcresceret, per aliquos discretos quidem viros, tamen à vobis non satis auditos, iniuriam mihi factam iri declaravi. Surdis (quod aiunt) fabulam cecinere, aut ea hominũ natura est, vt quod aliud patiat, parum curet. Nec eò minùs humeris nostris iam quassatis misera senectã, cui ferendo gemino opus esset Atlante, maius ac maius onus impositũ est. Timui, si exitũ incrementi expectarẽ me, iam omnino obrutam ad iudicium istud durare nõ posse, nèq; antequã cognita esset iterum causa apud vos mea, rũpere inuisã lucistadium cogerer, venio igitur ad vos, ne me hæcenus, aut scientem tacuisse, aut omnino silentium acceptã iniuriã præstitisse credatis. Nõ enim quia opprimebar, non loquebar: sed oppressa sum, vt palã loquerer. Vtinam Iudices causa vestra, nõ mea, omnino affirmare possem, quod semper tacui. vtinã omnis mea esset culpa, quòd oris huius secretum presissem, nec aliis quã ipsa patiebar, effutienda commissem. Nihil mirũ, si talem, etiam nunc, prestamus patientiam. Causa illa, quã modò aliquid calamitatis meã cogebat imputare vobis, ipsa suo iudicio dãnata est. Quicquid in vos, aut occupationes vestras torqueri posset, quòd audior peractum est: quòd me clementer excipitis, conticuit: Nisi vt iniurias grauesq; accusationes, quã in me quotidie euomuntur feram, nisi vt miseras patiar, affectũ non habeo. Audite igitur quid me exurat Iudices. Omnium ego splendidissima eademq; absolutissima scientiarum Iurisprudentia, cuius summo hæcenus in honore fuit cognitio atq; interpretatio, eorum culpa, qui me tueri, me defendere deberet. parum diximus. eorum imperitia, qui me eruisse e cymceriis tenebris se iactitant, non à quibusdam (quòd esset

ferendum) conuicatoribus: sed alioquin integris viris palam reprehendor, & vituperor. Dij immortales, quātus qualisque rumor circa me ingemit? omnium opprobrijs subclamata, omnium iniurijs lacecita sum: donec & ipsa affectus circa me publicos cognoscam. Dicta sum, non erudiendis honorandis, ve hominibus, imò agendis onerandisque iumentis ars idonea, eaq; abiectissima. Dicta sum digna, quam dij deaq; omnes male perdant, quia tam multa voluminum perditissimorum millia, quibus & ipsa obruor, sustineam. Non sunt commenta, non sunt fabulae, quae loquor, Iudices. Ipsa ego his auribus accepi, atq; egomet arguo. Quid facies senectus oppressa & infelicissima? iam fama non euitat praesentiam tuam, iam nemo, auribus parcat tuis. Audelis in publicum prodire? poteris occursum tu hominum, tu poteris ora populi non vitare? Vae mihi, qui risus mouebitur fontibus disciplinis in tenebras tuo iudicio deportatis: nostra cum illis fuerit audita calamitas. Quid loquentur? quid dicent, hinc exhibito malignis earum sermonibus alimento? Sat scio, non defendere, non excusabere. Considerate igitur Iudices, quae nam haec nostra sit infelicitas. videte iterum atq; iterum, nisi haec res adeò digna est, vbi vestra ope, vestro sit opus auxilio. Suffeceram ego olim sola, suffeceram coërcere improbos hominū affectus, & rebus omnibus modum imponere: cum adhuc integra hominum, integra quoque nostra natura floreret. Sola potui dissipatos mortales, qui montibus & syluis ferarum more vagabantur, in vnum locum cōgregare, eosq; ex immanitate illa ad iustitiam mansuetudinemq; transferre. Nihil est, quo se iactitet eloquentia, hoc sibi deberi. Nam nisi diuinū humanumq; ius eo tēporis docti homines fuissent, nisi aequitas illa legum interfuisset, nihil factum erat exitiosius ipsis hominibus, quam in eundem

eūdem locū, non deposita hætenus feritate, cōuenisse. Sed quid est, quod dicimus? Ipsa quidem eloquentia, quæ inter ciuiliſ iuris numeratur partes, nihil sine legibus, quarum noſtra profeſſio eſt, dicere, nihil perſuadere potuiſſet. O felices leges, ô fortunatiſſima, quæ niſi facitis, profiteri deberetis ſtudia: ſine quibus nec rerum natura omnis, nec ipſe ſtare mūdus poteſt. Videtis, tot cælorum rotatus, tot orbium circumductus, tot ſiderum certos conſtitutōſque curſus, tot elementa, hanc denique totam mundi machinam: ea omnia, niſi lege gubernarētur, corruerent. Imo eoſq; per omnia hæc legum firmiſſima vagatur ſymmetria, vt nec humilia contemnat. Ipſarum arborum, herbarum, auium, piſcium, animalium deniq; omnium naturæ, niſi lege ſtare nō queunt. Agnoſcunt vires noſtras diſciplinæ, & quæ hiſ digniores ſunt ſcientiæ. Quod parcius multo, quam res tam ampla deſiderabat attingam: ne voluptati meæ in noſtris enarrandis virtutibus indulgiſſe videar, & quam meremur gloriam, communis inuidiæ proſequatur. Atq; vt elementa Græmatices prætereā, in quibus nemo non nouit rectū, elegans, aut caſtè dictū, niſi quod ſuis legibus præceptionibusq; cōſonet, reperiri non poſſe: vt poëſim omittam numerorū legumq; vniuſcuiuſq; diſtionis, pedis aut carminis legitimā obſeruatricē, & cuius mihi ſemp legitima probata eſt fides, hitoriā, vt hæc inquā omnia prætereā: qſ nō videt Rhetoricen, quæ expoſitione & argumētatione docet, affectibus mouet, dicēdo delectat, cōfirmatione roborat, refutatione diſſoluit, quoniā verſentur hæc omnia circa quæſtiones, quæ aut ex facto aut ex ſcripto naſcuntur, quas ciuiliſ iuris cognitio ſubminiſtrat, & ad ſtriſtam eſſe legibus, & noſtram ſequi veſtigia: imò (vt inquit ille) iuris partem eſſe ciuiliſ? Huic eminet.

Dialectica earūdem ferè partium, nisi quòd adstrictior est. quæ non satis rationes argumentaque inuenisse existimat, nisi omni ex parte consonare legibus aperuerint. adeoq; veri aut falsi quantumuis impliciti cognoscit discrimina, vt vel minutula quæq; prosequatur. Ea cū nullius, qualis est Rhetorica, definita sit disciplina, tamè in id maximè nititur, vt legibus inseruiat, vnde sibi argumētōrū sumit principia. A rebus enim certis rationes sumere oportet. neq; quicquā certum esse debuit, quod legibus aborreat. His succedunt Mathematicæ disciplinæ omnium planè certissimæ, tamè quæ nostro egeant auxilio. nam quæ de numeris eorumq; passionibus tractat, licet præcipijs procedat manifestis, quod commune etiam est id genus reliquis, verūm nisi leges, quibus constare debet numerus proportioq; respiciat, sibimet constare nō posset. Hinc nascitur inter humanas diuinissima, inter diuinas humanissima scientiarum Musica, quæ sola legum obseruatione variat tot sonorū differentias, tot vocū cōcentus, tot modulationum discrimina. Ei dissimilis, nisi quod genere conuenit, accedit Geometria linearū, punctorum, superficierum obseruatricis, quæq; interualla magnitudines dimensionesq; corporum rimatur. quam legibus obedire legeq; constare vel inde intelligetis: quoniam ad regulam omnia velit habere, sine vllō certitudinis discrimine notissima. Adijciam quoq; illā, quæ multiplices vidēdi rationes exquirat: tū lucis, tum vmbraŕū indagatrix, & quæ præscriptis legibus, quæ plura similia vidētur diuersa esse comperit. Hæc quidem quamuis decipi plerunq; visa fit, aliquemq; habere scopum, à quo aberrare cōtingat, tamen sua iura cōstitutosq; habet fines, extra quos excurrere opticis non licet. Ijs verò intra quos hæc continetur facultas, vsq; adeò legibus obedit:

vt

vt vel latum vngem nō aufit discedere. Superest cœ-
 lorum cōtemplatrix Astralugia, quæ tot sphaeras, or-
 bes, epicyclos, siderumq; motus certissima indagacione
 dijudicat. Ea quamuis vndiq; diuina sit, nobis tamē in-
 feruit: imo eo magis inferuit, quoniam nihil nisi diuina
 lege compositum rimatur. Hæc physicen secum trahit
 omnium indagatricem, cui coniuncta est illa, quam
 Ethicen, quoniam de moribus tractet appellamus. In
 quibus nō min⁹ vires agnosceatis nostras, si res ipsas cū
 earū, aut p̄cipijs, aut causis cōsideraueritis. Quis enim
 vnquā effectus secutus est, nisi legitimam causam? aut
 quæ causa effectum vllū habuit, nisi quæ naturæ lege
 niteretur? Est & in ea, quā p̄ximò numerauimus, Ethice
 legū pars maxima: quæ diuina quadā à Dijs immor-
 talibus ratione tracta, ea quæ faciēda sunt iubet, pro-
 hibētq; cōtraria. Illud Iudices ad cumulū integritatis
 nostræ libens adiecero, nō æquū duxisse sacrosanctam
 Theologiā, & summorū pontificū iura nostras æquis-
 mas leges cōtemnere: quin earum ad imaginem, velu-
 ti ad quoddam exemplar, suos canones condidisse. Est
 igitur quod doleā Iudices, est quod lugeam, robustis-
 simas vires nostras, quas nec ciuitas hæctenus, nec gēs,
 nec hominū vniuersum genus, nec rerū natura omnis,
 nec ipse mundus, nec orbis ipse disciplinarum ausus est
 cōtemnere: nunc tandem palām, irrideri, idq; nō mea,
 si quod antea dixi meministis, sed eorum culpa, qui de
 me sese optimē meritos vbiq; laudant. Vos igitur Iudi-
 ces æstimate, quatenus recipiatis hūc affectum meum?
 Semel vt ipsa tristem finirem expositionem, dicendum
 erat. funditus perij. Namq; ubi nūc illa est ars æqui &
 boni: vbi illa humanarum, & diuinarum rerum notitia
 iusti atq; iniusti scientia: vbi nunc ille clarissimus legū
 concentus à Dijs hominibusq; summa quadam ratione

B ij compositum.

cōpositus: Scio vos respōsuros esse Iudices, nusq; gen-
 tiū quod postulo reperiri posse. Cuius interim miserrī-
 mā calamitatis si causam ipsa roger, cogar vel inuita
 cōfiteri, quod mihi accusatores obijciūt. Me inquā ob-
 rutā oppressāq; in tenebris iacere, scriptorū multitudi-
 ne, quā inanis arrogātiæ causa nostri sibi assūperūt in-
 terpres. Qui cū toto cælo aberrarēt à declarāda san-
 ctarū legū castimonia, ne parū multa scire viderētur,
 vndiq; conquisiuerūt quæ nihil ad propositū attinebāt:
 quasi hoc vnum esset dissimulandæ, inscitæ remedium
 cōgesta rerum turba, pariter, & rem obscuriorem red-
 dere, & miseras auditorum aures barbara loquacitate
 raddere. Inueterauit namq; opinio quādam, mihi sanè
 perniciosa, sed vobis omnibus maiori dāno: futura quæ
 nō modo in Italia, vbi illa maximè viguit, sed in Gallia
 & Germania communi omnium sermone vagatur, &
 nunc vnicè Hispaniam videtur occupasse, in hoc quod
 conqueror scribendi genere scriptorem, qui multa con-
 gesserit, quamuis sit imperitus, neminè posse damnari.
 Quod si quām ambitiosi sunt ad scribēdum, tam essent
 solliciti in pēsitando, quid dicerent: fortasse aliqua in re
 nō vsq; adeò nobis nocuissent. Verūm hoc adhuc dam-
 nosè cadit, quod cum incredibili eorū arrogātia, incō-
 siderata scribendi auiditas coniūcta est. Namq; vt au-
 dissimi gloriæ sunt, in consuendis vndiq; centonibus, sic
 ad intempestiuam damnatorum glossematum æditio-
 nem præcipitātur. Quod cū ita sit eousq; vestras om-
 nium mentes perditas arbitrantur, vt hoc palām scri-
 ptitent non frustra se cumulandis diuerforum autorū
 opinionibus vacasse: quòd hac potissimum parte legē-
 tium inuoluātur tenebris iudicia. Cui quidem comitia-
 li morbo quamprimū per vos esset occurrēdū: nō
 quidem, vt augetis eorum, qui id in vulgus seminatūt
 inuidiam

inuidiam: sed vt infamiam communi succurreretis: Tum
 vt mea mihi integritas, ob id ipsū perdita redderetur.
 Quorsum enim attineret Iudices, si ante actas nostrae
 vitae rationes, longinquius repetita querela, longa ora-
 tione ostendere conarer. Non mihi res est apud igno-
 tos. Iurè me dolere, iurè me queri scire debuistis. quòd
 absolutam illam diuinarum humanarumq; rerum co-
 gnitionem amiserim. Nō est mihi in animo causas au-
 gere lacrymarū, quod vnice apud vos possem, vel hoc
 vno, quia cūm sim, non quā alij solēt iactura miserabi-
 lis: non tantūm in malis ambitiosa esse non possum, sed
 nec multis digna videri nequeo, quā tantam patiar ca-
 lamitatem. Quis enim ferat (inquiūt) disciplinam, quā
 nisi haberet quam multos, qui eam sequerētur, doleret:
 tamen, plurimos se habere affectatores, indignè ferat?
 Quis illi non indignetur, quā cū omnibus cognita esse
 velit, tamen ob id queratur, quòd multis sit cognita? In
 has ego Iudices, angustias incidi, hęc meā calamitati
 nouitas accessit, vt vel vobis vix videar iurè dolere.
 Quaeso tamen vt totius causae probationem eò magis
 æquis auribus accipiatis, quòd verissimo dolori meo nō
 creditur. Nec habere defino, qui me sequatur, quā ac-
 cusare apud vos possum: nec vllos habeo affectatores,
 quam qui sequuntur, magis premunt, quā comitatur.
 Nec me præterit quanta sit eorum copia, qui se Iurif-
 prudentiæ affectatores gloriantur. sed hoc magis do-
 leo, quòd de tot millibus, paucissimi sint, qui sibi id
 nominis meritò attribuant. Nam quos interpretes,
 aut Glossatores appellatis, nihil minus faciunt, quā
 quod tam apertè, ne dicam imprudenter, pollicentur.
 Fidem vestram Iudices, ne vobis imponant, qui tan-
 quam pro mei dilucidatione, per vniuersum corpus
 legum, immensa commenti sunt glossemata. Suos

B iij animos,

animos, ambitiones suas temerè sunt sequuti. Rem per se apertam nemo interpretatur, nisi qui eã velit obscuriorem reddere. Scire vultis sanctissimi viri, quam mihi glossemata attulerint vtilitatem: me quam vel ætas in peius ruens, vel hominum consensus, aut meæ forsitan fortunæ conditio de medio potuisset auferre, securam fecerunt: dum ad perpetuas tenebras (nisi iam iam succurritis deficienti) relegât. Hoc tristissimum est calamitatis genus, vt sub officij specie, certissimam perniciẽ accipias. Nisi nocentes existimatis, qui nobis tenebras inanibus, hisq; immensis scriptis suffundunt, quo pœnarum genere D. Iustinianum (quem libenter, vt debeo, nomino) afficiendum crederetis? qui me simili scripturientium vitio labanti penè restituerat. Seueritatẽ vestram Iudices, ne Glossematarijs profit, quod suorum librorum titulis mentiuntur. Nunquã enim ipsa de illarum disciplinarum numero fui, quæ nescio quam sibi arrogant iactantiam: quoniam nec ab ipsis earum professoribus satis intelligâtur. Nec à me laudari possunt, qui rectè dictum arbitrantur, quod vt possit intelligi, interpretandũ sit. Nobis equidẽ ea fuit cura perspicuitatis, vt non solũ qui ad nos venirẽt, quæ legibus proposuimus, intelligerent, sed ne omnino nõ intelligere potuissent. Quid igitur claritatis ius nostrum acciperet ab ijs, qui quæ dixerint, ne ipsi quidem intelligunt: potissimũ cum eius naturæ sint quæ Ius præcipit, vt in animum legentium, veluti sol in oculos, etiam si in ea non intendatur, incurrant. Vt igitur oculi, cùm Sol lucidus est, ad incensas fascas caligant: sic animum hallucinari certum est, si rebus perse manifestis interpretationem adhibeas. Ergo specie rem cognoscitis viri sanctissimi. Nunc breuiter audite miserum nocentissimorum hominũ facinus. Tenebras legibus explicando infuderunt.

fuderunt, deinde seipſos explicare non potuerunt : &, quod dici ſolet, dum claram cœno conturbant, nō niſi hirsutis camelis puriſſimum earum liquorem bibendū reliquerunt. Siue enim Iudices, commenta barbariæ, quæ bonas artes inſigniter deſtruit, meis legibus placuit immiſcere: & in me tentatum eſt, quantum horrendū illum noſtrū perdere valuiſſet: ſiue homines, quibus ingenij nihil, arrogantiæ plurimū aderat, aliquā mei perditione gloriā laudemq; captarūt, eis fama (certò ſcio) inde petita eſt, vt ipſa niſi ab ſtupidis amplecti nō deberem. Ergo quod inſicias ire non poſſunt, obſcuritatē omni luce, omni iuuare, omni ſplendore firmiorem: noſtem, quæ tenebroſa caligine, diem quantumuis lucidū obſcuraret, meo, aut potius veſtro Iuri inſperſerūt. An fecerint vt facilius poſſem intelligi, vos Iudices exiſtimabitis. Ego ſanè in eū locū deducta ſum, vt ſi qualē ipſi me reddiderunt intelligi debeo, ignorari malim. Explicitam me putatis, & ab iniuria, quam iniquis temporibus omnes ſimul patiebamur diſciplinæ vindicatā? Nunc nunc me fateor explicari debere. Nunc miſeramente commoueor, quòd inter tot declarationes, nihil omnino poſſum inuenire, quod obſcurum non ſit. Sed ferēda quidem hæc erat obſcuritas, ſi ſolā mihi perſpicuitatem ademiſſet. Maior dolor, maius eſt tormentū, quod fero. Quem videtis triſtem habitum, dirumq; cōſpectum, viri ſanctiſſimi, quam auditis verbis aſperam vocem, contentione rixantem, frementem, terribilem: non aliunde venit, niſi quòd arte boni & æqui orbata ſum. Nihil in me reperio, quod animū poſſit excauſcētē ſopire, nihil cuius integritate reliquorum iacturā æquius perferā. Omni deſtituta ſolatio, omni ſum, qua mihi minus poſſem pſuadere mali, oratione fraudata. Hinc eſt quod ſine ordine fletus noſtri geminantur:

nec vllus adest modus, vt gregatim erumpentes gemitus differam, leuiorq; fiat dolor, dum disponitur. Hoc si doleo inter ceteras calamitates, nec miremini Iudices, nec me minus perdidisse credatis, quàm ipsa desidero: quin potiùs hanc à vobis veniam peto, vt ad me de studijs vestris loquentem benignè vestros, sicuti facitis, animos vertatis. Repetam verò longinquius huius suppressæ iacturæ originē: vt vobis incognita esse non possit. Erat igitur, vt scitis, Iudices, apud veteres Iureconsultos ea tradendæ Iurisprudentiæ ratio: vt Ciuilis Iuris studio eloquētiæ ac philosophiæ studia cōiungerent: & cū eorū essent disiūcta præcepta, tamē vsus erāt coniūctus. Siquidem & rectè Rēp. administrandi, & bene dicendi, idē erāt præceptores: & vetus illa doctrina, eadem fuit & rectè faciendi, & bene loquendi magistra. Huius consilij fuit prudentissimus Peleus, qui Achili comitem dedit Phœnicem: vt ab eo non tantū rerum actor, sed & verborum euaderet orator. Hoc vobis significare voluit antiquitas, dum memoriæ prodit, leges inuentas fuisse à Dijs immortalibus, quorum erat maximè sub patrocinio eloquentia. Nam Osyris, à quo leges acceperūt Aegiptij, à Mercurio edoctus fuit: & qui leges Persis, & Bactrianis dedit. Zoroastes, Oromasi discipulus creditur. Atq; Solon ille, quem magno laudis præconio tota celebrat vetustas, Mineruæ alumnus putatur: eundemq; scimus iura Atheniensium populo tradidisse. & Lycurgus Lacedæmoniorum rector æquisimus, institutus habetur ab Apollinæ. Nihil dicā de Charinūda, nihil de Zātrasto: nihil de Zamolxi ferā, quorum singuli, si non ab eloquētiæ præfidibus, tamen à Dijs immortalibus iura acceperūt: ne sine aliqua verborū iucūditate vllas leges traditas esse crederetis. Hinc sequuti sunt antiqui philosophi, quorū de

numero sunt Protagoras, Trasy machus, Gorgias, qui vniuersam Græciam æquissimis veteris Iurisprudentiæ præceptis, non sine magna eloquentia, imbuerunt. Quorum gloria impulsi Plato, Xenophon, & qui his successit Aristoteles, & sapientiæ Politicæ, & eloquentiæ rerum forentium magistræ se Doctores profitebantur. Recentiores deinde Iurisconsulti, quorū maximè responsis iura Romani Imperij constituuntur, illos veteres sunt imitati: nec satis esse putarunt, si nudas leges conderent tenui aridaq; oratione constructas, tamē si ornatiùs nec disputarēt, earūq; rationes eloquentiæ viribus persuaderent. Hæc est Iudices, qua me orbatam doleo, loquendi persuadendiq; vis, à primis omnino instituta legissatoribus, à veteribus accepta Philosophis rerūq; publicarū gubernatoribus, retēta à vestris, sed nunc nō sine magno incōmodo consumpta. O si mecū etiam atq; etiā reputēt adolescētes, qui Iuri Legibusq; student, quantā vtilitatē, quantā voluptatē, quantam deniq; dignitatē adipiscerentur, si eloquentiæ & Philosophiæ studia cum Iurisprudentia coniungerent. Vtilitas certē huiusmodi est, vt si informati eloquentia ad Iuris accesserint penetralia, studiorum augeri fructus, laboresq; minui, exiguo tempore sint reperturi. Nanq; vt qui in gladiatoria diu se exercuerūt, cū ad pugnā veniunt non tantūm quæ meditatione didicerunt, non dediscunt, sed eò dexterius insistent oppugnaturō, nec sæuissimis ictibus deterrentur: eodem modo qui à Rhetoribus & Philosophis ornatus ad Iurisperitos trāsibit, Rhetorica illa & Philosophica ornamenta non contēnet: sed legum coniuncta prudentia, varijs legēdis autoribus ijsq; corrigendis, refellendis, etsi vsus postulet interpretandis, omni scribendi dicendiq; genere (quod in maximo habetur precio) amplificabit. Non impe-

dietur varijs nostrorum interpretū opinionibus, quin-
 potius quod in ipsis occurrerit imprudēter, aut minns
 doctē conturbatum (quod quoniam occurrat frequen-
 tius, est Iudices quod doleam) facile deprehendet, de-
 prehensumq; castigabit & ad insignem doctrinæ lucē
 reuocabit. Rhetorices enim aut Dialectices præcepta,
 quæ ferè coniuncta voluit antiquitas, & quæ post ea
 tradenda est, philosophia, in hoc maximè tendunt, vt
 quid vtile, quid verosimile, quid omnino verum sit cō-
 monstrēt: cōtrā, vt si quid erit, aut inutile, aut falsum,
 declarent. Hoc pacto Iudices eueniret, vt quemadmo-
 dum periti Chirurghi in sanandis vlceribus, sic in resti-
 tuendo Iurisprudentiæ nitore, putria membra, & quæ
 mortifero veneno sunt infecta, amputarētur. quæ verò
 sanari possunt, curarentur. Quamobrem neminem esse
 tam morbidum aut cōtaminatum esse arbitror, cui vel
 futuræ salutis spes non suaue quoddā aspiraret. Nā quæ
 sunt ea, quorum maiore incendio impellimur? Nempe
 vt optatam metam contingamus. Et qui nostris studijs
 operam nauant, quæso quanto incenduntur desiderio,
 quāto inflāmātur amore sanæ doctrinæ? Nemo equidē
 tam inuitus ad sacrosanctas leges accessit, qui non ve-
 lut, etiam si laborem immortalē prouideat, diē noctuq;
 Iuri incumbere: dum optatis similis contingat doctri-
 na & eruditio. Cōtingerētq; ei, qui cū bene puritate
 Latini sermonis & Rhetoricis, & Philosophicis fuerit
 informatus præceptis, atq; vsu: tum demū ad penetra-
 lia Iuris accesserit. Quanto igitur maiores fecerint p-
 gressus in discendo, tantò iucundiores accipient volu-
 ptates, cū eis, quæ didicerint, fruantur. Atq; cū an-
 teā molestissimis interpretationibus fatigati, librorum
 mole (quod mihi obiectum est) obruti, obscuritate ob-
 cæcati ac deterriti Iurisprudentiæ amorem deponebāt,
 ita

ita nūc cūm se & doctiores & eruditiores compererint, non sine magna delectatione, laborē amplectentur: nec sibi negotium exhiberi, sed condonari ocium existimabunt. Praesertim cūm propius contemplantur cum eximia commoditate, singulari voluptate; insignia dignitatis ornamenta, qualia vix ipsi optarint, cōiungi. O me tēq; quaterq; beatam Iudices, si vel nunc mihi contingat, quod sese consequas, tot iā annis reliquæ omnes gloriātur disciplinæ. laetatur se Grammatica, nō Alexandros de Villa Dei, non Facetos, non Gracisinos: sed Aristarchos, & Varrones habere. Dialectica plurimū sibi arrogat, quod non, vt contigerat, Maiores, aut Minores, sed Gorgiam audiat, & Aristotelem. Platonas & Xenophontes agnoscunt Philosophi. Medici Arabas exuti, Hippocrates audiunt, & Galenos. Theologi non quos olim: sed Basilios, Chrysoftomos, Cyprianos, Hieronymos exprimere doctrina, atq; eruditione contendunt. Væ mihi inter tot foelicitates miserimā, cui non Africanos, Scauolas, Papinianos: sed Vulgaros, Lotharios, Placentinos, Accursios, atq; id genus sexcentos au dire necesse est. Hoc est Iudices, quod me initio statim actionis strangulabat. hoc est quod excandescebam, quod fremebam: & adhuc me inuisam vitā finire impulerit hic animi mei, propè dixerim, furor: nisi tam lentæ vindictæ dilationē aufertis. Ne quis verò existimet, me vehementius commoueri, dum quorundam interpretationes, quæ à multis tantopere probantur, reprehēdo: me vobis dicturam, idq; paucis statuo, qua ratione mihi displiceant, quæ tā multis putuerunt placuisse. Quamobrem ad hanc vltimam orationis meæ particulā animos aduertite: neq; enim singula exequar, quæ mihi non probantur: sed rei summā proponā, vt vestrū sit de mea Querimonia iudicium. Corpus legum, quod

innumeris Gloſſematis, Summarijs, Caſibus, Additionibus conturbatum eſt: legalem doctrinam, quam tã varia, aut potiùs vanã interpretum lecturã confuderũt, perpetua confuſione, moleſta repetitione, nulla prorfus methodo, imò implicita pugnantiq; contrarietate, tractari contendo. Vnius igitur operis, vel elemẽtarijs cogniti, exemplo, in quod contulerũt quicquid politionis literaturã noſtri interpretes habuerint, aliqua leuiter attingam: atq; inde percipietis cur ſuperfluentem redundantiam, nimiam repetitionem atq; implicitam confuſionem reprehendam. Opus eſt Elementorum, aut Inſtitutionum Ciuiliũ, quod rudi inſtituendã iuuentuti, viãq; ad Ius Ciuile præmuniendã (dicam enim hæc, licet nulli cognita non ſint) ex omnibus antiquorum Inſtitutionibus, Caij q; commentarijs componi iuſſit Iuſtinianus. Tamen huic operi, quo nihil apertius eſſe potuit, tantam confuſionem inſperferunt, vt non modò iam tãdium non leuet ius Ciuile ingredientibus, verũ, vt eos moleſtia propè enecet. Atq; vt à primis partibus agam, quorſum attingebat in explicando proœmio, in quo nihil aliud præter exhortationem quandam ad legitimã ſcientiam continetur, tot immiſcere quaſtiones, tot abuti egreſſionibus cõmentitijs præſertim, quæ cũ nihil momenti habeant, tamen nec Iuri Ciuili ſunt propriæ, nec aliud efficere poſſunt, quàm bonis ingenijs obeſſe, ne leuiore opera id, cui ſtudent, aſſequantur. In ipſo ſtatim exorſu præponitur quaſtio, An continuetur rubrica proœmij, An poſſit eſſe imperator qui Chriſtianus non ſit, Vnde ſit Iuſtiniano quòd Cæſar dictus fuerit, vnde quod Alemanicus, Gothicus, & quæ ſequuntur reliqua. His non leui calamo tractatis, Dij boni quantas mouent tragœdias in diſputando, Quare legibus accõmodatum eſt, quod armorum erat, atq; quod legum armis. Sumitur ſta-

tim contentio non exigua. Qua poena sint affiendi calumniatores. Legitima sane quaestio, & Iuris interpreti non contemnenda, at quam inopportune, quam sine ratione tractata? Auditorem habetis quem informare, non quem informatum perficere oporteat. Quaso si quis Grammaticam docens a posterioribus inciperet, & non prima elementa, sed figuras, & tropos in ipso initio tractaret, non praeposterè, atq; imprudenter agere videretur? ut & qui aedes esset fabricaturus, si a culmine velit aedificandi initium sumere, omnino ridiculus aestimaretur? Est enim non modò disciplinarum, sed & agendarum rerum ea ratio, ut a minoribus leuioribusq; ad maiora & difficiliora, veluti per gradus, eatur. Qui huius doctrinae immemor ambitiose festinat, non artes docere, sed confundere nititur. Quod cum ita sit, quare id minus in Iurisprudencia requiri debbit, quam in reliquis, quae supersunt, omnibus disciplinis? Interpretes autem nostri, quid aliud faciunt, quam posteriora primis, & prioribus postrema, & utrisq; media confundere? In prooemio institutionum agitur de poena calumniatorum, An desuetudine abrogetur, derogeturue legi: in medio autem opere ad ius civile cohortamur. Sed ut errorem hunc alijs atq; alijs adiectis corrigeret: quoniam docebamur, Institutiones civiles prima esse legitima scientiae elementa, visum est operapretium si de numero & qualitate primorum elementorum loquerentur. At quaso quam ridiculè, quam confusè? nisi malimus naturali philosophiae civilia iura immiscere, & a cuiusq; homonymia vocabuli argumentum sumere, ut omnia sint immista & conturbata? Nec inficias iuerim artes coniunctas esse, atq; eis instructum esse debere, qui Iuri civili operam nauare velit, tamen suis quaeq; debent tradi temporibus. Primo Grammaticam, deinde

Rhethoricam, & Dialecticam, tertio Philosophiã, vltimo Iurisprudentiam docendus est puer. Neq; enim quia utilis fit Iurecõsulto reliquarum disciplinarum cognitio, nostrã sunt confundenda institutiones. Admoneo adolescentes, ne antequã cognitã habeant reliquas disciplinas, iurise tradant: consilium do, ne Iuris ciuiliã studia tractantes eloquentiã, aut Philosophiã obliuiscantur: sed non ideo boni ducimus, temerẽ egressione fieri, vt de Philosophiã, aut Dialecticã præceptis discipletur. Quare illa inanis rerum confarcinatio, nihil est Iudices, quod à vobis probetur: nisi enim spõte currentes retardat, nihil aliud est, quod efficiat. Sed hunc primum nostrorum interpretum conatum alij multo ineptiores sunt sequuti. Nam in explicanda Iustitiã finitione, qua vt nihil clarius, ita nec pfectius potuit excogitari, audite quas moueant tragedias. Primum in quæstione vertitur, An definitio reddita sit de diuina aut de humana Iustitiã. Quod si de diuina, in eo offendunt, Quare aequalis sit reddita merces vespere ac mane venientibus, quod vt testimonio pbetur versus afferunt, dignos sane, qui illorũ scriptis inserantur. Sin autem de humana Iustitiã loquutus est Vlpianus, quem eius finitionis autorem esse scitis, duo illa verba, Cõstãs & Perpetua, superfluunt: & quod vltimo subdit, Suũ vniciq; tribuens, intelligendum est, quãtum ad affectionem, quia ad actum non potest. Hoc probant Augusti vocabulo, quod ipsi suo more in Rubrica præmij exposuerant. Adducunt etiam matrimonium indiuiduum esse, tamen vt aliquando diuidatur contingere. Sed quoniam non satis germanẽ expositam finitionem reddiderant, alia nos expositione confidentissima, vt priores excusent, fatigant. Vel tertio (inquiunt) exponere, vt in summa huius tituli, volũtas, id est mēs: Cõstans

stans, id est, bonum: quasi habitus mentis bonus. Adducitur statim Ciceronis finitio, sed quam praposterè, quam citata corrupte? Subiungitur, alia Placentini, quae quiduis potius possit describere, quam Iustitiam. Non adhuc satis est. Vlpiani finitio, veluti impropria reiicienda est. Substituenda est illa Accursij. Iustitia est cōgrua dispositio, in singulis rebus rectè dijudicans. Quae nam haec est Iudices (vos rogo per immortales Deos) interpretandi ratio: scilicet ea est, vt nisi quae à veteribus sunt tradita, cū ijs, quae praposterè interpretes excogitāt, conuenerint: aut corrupta, aut omnino mutanda iudicētur? Longè alia est, quae admitti debuit, si modò admitti oportebat, legum Iurisq; declaratio. Non quaritur Accursi, an diuina Iustitia, an humana sit, quae finitur. sed qualem esse oporteat postulamus: & quae nam illa sit, cui nihil in terris addi possit, indagamus. Non quaritur. an absolute possit ab homine quātumuis iusto exerceri: sed quae nam illa sit Iustitia, qua nihil possit esse praestantius. Ea neq; oculis, neq; auribus, neq; villo sensu percipi potest: intellectu quarēda est, mente cōplecti debet. Quicquid igitur illud fuerit, quod Iustitiā potuit circumscribere, nō è cotidianarum rerum experimento, aut ex Sophistarum officinis, sed è media repetitum erat Philosophia. Quare nihil miror, quo minus rectè explicare potueris rem, quam non modò facultatibus assequi, sed etiam cogitatione complecti nō illius esset, qui aut suorum iniuria temporum, aut ingenij crassitie, parum in literis promouisset. Sed illud satis mirari nō queo, cur tu homo infelici ingenio natus, literarū omnino expers, de quo illud optimè dici possit, vt neq; natare nosti, neq; literas, tantum tibi sumptis: vt interpretis personam indutus, non solūm fueris ausus, cuius te inscium deprehendebas, exponere:

C iij sed

sed etiam aliud lōgē ineptissimum substituere. Iustitiā (inquis) est animi congrua dispositio, in singulis rebus rectē diiudicans. Animaduerte Accursi, Iustitiam non esse dispositionem, sed habitum: neq; si dispositio esset, congrua diceretur, sed certa. Considera non simplicem esse Iustitiam, sed alteram esse quæ supremum obtinet inter virtutes fastigium, de qua nihil erat, quod Iurisconsulti, in constitutionibus suis (nam aliò id spectat) loquerentur: alteram, quæ quēdam sibi ordinem certumq; locum inter reliquas vendicat virtutes. Hæc est, de qua Iurisconsulti disputauerunt, quam scriptis suis definiuerunt, quæ, nisi cogitatione, comprehendi non potest. Huic etiam non tantum tribuimus, quo tu contentus es: vt de singulis rebus rectē diiudicet, sed vt communes vtilitates in medium afferat, mutatione officiorum, dando, detrahendo, tum artibus, tum opera, vt hominum societur genus, & in Modestia, Temperantia, alijsq; virtutibus viuatur. Quod vt neq; absolute præstari potest, ita nec in homine omnino debet requiri. Sat enim fuerit mortalem virum perpetuam quandam: & constantem habuisse voluntatem. Et tamen, quæ definitur, Iustitia, non in homine quærenda est, cum sit quædam rei forma, quam non gigni, non occidere, sed semper esse contingat. Hoc qui nescit Accursi, frustra erit, vt vlteriùs pergat. Nescit firmissimam arcem cōstruere, qui debilia præiecit fundamēta: nec ei committere oportet magistratus, qui Remp. in ipso prodidit Consulatus initio. At tu toties à te proditam, toties diuitijs suis omnino fraudatam, non cessas perdere magis ac magis. Positiones iuris nunc genera, nunc species esse dicis, Pyleum reprehendis, nec te satis explicas: quin potiùs implicas. nec, quæ dicas, intelligis. Scire vis quantula sint, Accursi, quæ te angunt. Positiones

sitiones esse duas studij legitimi, nihil est aliud, quam duas propositas esse partes, in quibus totius Civilis disciplinae cardo versatur. Ea sunt, Publicum, & Priuatū. Hinc vides quantum decipiariis in adducēdis Sophistarum, aut potius sycophantarū cauillis. Vtilis est Dialectica Iureconsulto: sed non ideo germanum est, de Sophisticis phantasmatibus in Iuris explicatione tractare. Imbutum esse Dialectica volo adolefcentem, qui ad nostra accesserit penetralia: sed non ea, quam tu ē barbarissimorum Sophistarum commentarijs didicisti. Neq; enim tam portentosam argutiam aliunde sumptā esse oportuit. Verūm hæc forsitan, quorum si singula, vel leuiter essent attingēda, nec modus esset, nec finis, nihil moraris, ridesq; quorundam anxietatem, qui te tā insigniter desipere in exponendis legibus indignantur. Neq; aliquid putas referre, si labaris, quò nec ditior, nec pauperior euadere contingat. Sed ô hominum, quos mihi videre contigit, omnium ignorantissime, idēq; arrogātissime, nihil te mouet damnū, nihil publica perniciēs, quæ a tuis, tuorumq; affectatorum interpretationibus emanauit? Nonne vides iniurias, quæ infinitæ propè numero calumnia tua, & nimis stolidæ, sed malitiosa Iuris interpretatione, tot iam annis extiterunt? Quo in genere etiā adhuc sæpius in Repub. peccatur: cum nemo adeò nocens sit, qui non speret, vt innocens tandem iudicetur, postquam æquitatis splendor tuis fuerit tenebris suffusus. Non quòd ipsa tuorū scriptis obruta & oppressa fatiger: non quòd multorum opprobrijs subclamer, dolebis: Non tandem pudebit te tui, quòd tuam ob causam plurimorum studia retardantur? qui desperatione debilitati experiri nolunt, quod nec se assequi posse confidunt, nec si possent, vellent: ea tua est barbaries, qua purissimos nostrarum legum

D turbasti

turbasti fontes, castimoniam Latini sermonis cōtaminasti, perspicuitati noctē immisisti, Philosophiam perdidisti, ac nihil deniq; in ipsis legibus explicare potuisti, quod non in peiorem multò statum reddidisses: siue id esset verborum, siue sentētiarum. Quare desinite

mirari Iudices, quòd vt hic eiusq; affectatores

puniantur, precor. Nō me solū oppressam,

non me cōtumelijs actam: sed læsam esse

Rempub. cōtendo. Neq; aliud grauius

sentio, quàm quòd eos tādū defen-

dipatiamini, qui & Rēp. perdi-

derunt, & me quoq; fecerūt

sceleratā: quòdq; ipsa

eos legibus accerso,

qui si vel capitis

fuerint suppli-

cio dānati,

morte,

quā

ego sapiūs optare potui, fungentur:

vel saltem si exules a Iurisconsulto-

rum numero eos reijcere oportue-

rit (quod quantopere cupiuerint, sa-

tis illorum scripta de-

monstrant) me in

ultione dece-


ptam fuisse,

gloria-

bun-

tur.

Πατρίου δὲ καὶ ἀκούσας.



na iusticiā psequat:
vidat: qd ad impiores
i destituerit aut lras
ab eodez p iusqz de
ta assignate. Et i ante
a putauerit appellan

ec gnt
ordi
pba
culsa
iligne
m pot
us iur
a. e. se

capitū cā pcedere.
nte cā cesset effectus
vt sine iudex ordi
gatus aliqd cōmū
loquēdo p uerit
mandato alter lri

licia: ipse
suspitōis
int i vna
rertius:
rit robur
s se ad id

h. d. Der
nota ergo
tutio loqu
nario qd e
tur: q iuda
tus commit
gocū illud
facere dele
to recusatō



